


V
B J
C
379855
III



DECISIO
SAC. ROTÆ ROMANÆ
CORAM
R. P. D.
AZEDO
IN CAUSA
Cracovien. Exemptionis
Super Bono Jure.
Lunæ 23. Junii 1777.



ROMÆ MDCCLXXVII.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.





1 RELIGIOSUS Ordo S. Sepulcri, qui Institutum Divi Augustini profitetur, ab Hierosolymis faustissimam traxit originem. Cum enim Christi Fideles ea regione, quam, Godefredo Duce, adversus Turcas petierant, potiti essent, illorum magnus numerus ibidem manere decrevit, ut præclarissima nostræ Religionis monumenta custodiret, eaque propius veneraretur. Sancti præ cæteris Sepulcri custodia Canonicis Ecclesiæ Cathedralis obtigit, quos deinceps Hierosolymitanus Patriarcha tertium post disiectos Turcas ab Ecclesia Latina sumptus Augustinianæ disciplinæ addixit. Hanc iidem summa vitæ integritate prosequentes, & justam Fidelium venerationem adepti sunt, & præcipuam retulerunt Summorum Pontificum benevolentiam, qui eos ita singularibus, crebrisque favoribus cumulaverunt, ut eis pauci, qui tantis ornati fuerint beneficiis, pares putentur. Reque vera Honorius, Innocentius, Cælestinus, Lucius hujus nominis secundi, Eugenius deinceps III., postremo Alexander, & Cælestinus itidem Tertii hunc Religiosum Ordinem in suam fidem, ac tutelam receperunt, eique liberam suorum bonorum administrationem tribuentes, a qualibet Archiepiscoporum, aliorumque Ordinariorum jurisdictione immunes fecerunt.

2 Eisdem fere temporibus cũ fama hujus Ordinis percrebuisset, idem apud alias Nationes dilatari cæpit, & maxime in Polonia, ubi pius, ac Nobilis Vir Polonus Jaxa ab Hierosolymis rediens primus omnium introduxit, Conventum in *Miechoviæ* loco ædificavit, rebusque necessariis munivit. *Urbanus* itaque IV. singulis Prioratibus, Ecclesiis, Domibus, Præposituris Canonicorum Regularium S. Sepulcri ubique Terrarum erectis eadem Privilegia, quæ Antecessores Pontifices Canonicis tantum Hierosolymitanis pridem attribuerant, impertitus est, eosdemque a potestate Episcoporum solutos Summis dumtaxat

Pontificibus, & Patriarchæ Hierosolymitano, quem ipsi ob facultatem a S. Sede concessam ex proprio cætu eligebant, subesse voluit. Ad hujus Pontificis consilium accedentes *Eugenius IV.*, & *Pius II.*, Episcopis insuper interdixerunt, ne istorum Religiosorum Causas sive Civiles, sive Criminales ultro sibi arrogarent.

3 Ecclesiæ porro Miechoviensi aliæ plures veluti membra per pios Fundatores adjunctæ fuerunt in *Polonia*, *Boemia*, *Sclavonia*, *Russia*, *Hungaria*, *Teutonia*; Hinc idem Urbanus IV. peculiari suo diplomate illam non secus ac istas iterum exemit ab Episcopali jurisdictione, illasque Hierosolymitanæ Ecclesiæ subjecit; & quamvis progressu temporis Turcæ Hierosolymas recuperavissent, desiissentque idcirco esse Patriarchæ latini, attamen *Gregorius XI.* anno 1371., & *Martinus III.* vulgo V. anno 1420. præfatam exemptionem Præposito Generali, & Canonicis Miechoviensibus, eorumque Membris confirmaverunt; immò licet insequentibus temporibus Innocentius VIII Ordinem Canonicorum S. Sepulcri suppressisset, ut illius Bona Melitensibus Equitibus, qui tum adversus infestos Turcas strenue pugnabant, impertiretur; nihilotamen minus Ecclesia Miechoviensis substitit, & Præpositus in omnia membra sibi subjecta generalem jurisdictionem exercere perrexit.

4 Deinde veritus, ne privilegiis sui Otdinis damno esset Innocentiana suppressio, eorumdem confirmationem anno 1506. a *Julio II.* impetravit. Ad hunc Pontificem accesserunt *Leo X.*, & *Innocentius XI.*, qui Canonicos S. Sepulcri Miechoviæ, aliorumque locorum ab Episcopali jurisdictione solutos declararunt, confirmaveruntque; Immò *Sixtus V.*, & *Urbanus VIII.* Constitutiones in Capitulis Generalibus Miechoviæ factas, quibus hic Ordo regeretur, Bullis specialibus approbaverunt. Hinc factum est, ut Canonici, extincto jam Patriarchatu jurisdictionali, sibi jugiter elegerint Præposirum Generalem Miechoviæ residentem, qui a S. Sede agnitus, & confirmatus jus utique suum independenter ab Episcopis in Religiosos omnes continuè exercuit, & quoties in discrimen revocari voluit ejusdem Ordinis exemptio, proindeque actum de ea in judicio fuit, toties declaratum extitit, Præpositum Generalem, omnesque Canonicos S. Sepulcri fuisse, & esse ab omnimoda Episcopali jurisdictione immunes.

5 Attamen Cracoviensis Episcopus gravissimum bellum nuper indixit Præposito Miechoviensi, totique illius Ordini. Hoc namque obnixus prætextu, & quod amplissima privilegia Canonicorum Regularium S. Sepulcri ob suppressionem Innocentii VIII. extincta censeri deberent, & quod

quod Religiosi ejusdem Ordinis non amplius subiecti Patriarchæ Hierosolymitano Episcopis forent subiiciendi; hinc adversus Matthæum Buydechi Præpositum Generalem institit primum declarari pro vacanti Miechoviensem Ecclesiam, quia ejus ipse regimen non procurata institutione susceperat; deinde pleraque etiam alia is egit, quæ Præpositi, ejusque Ordinis exemptionem penitus evertebant. At hic suis fretus Apostolicis privilegiis confestim, impetrato Monitorio super manutentione ab A.C., Episcopo inhibuit, ne quidquam ageret contra omnimodam exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione, sibique præterea cavit, ut deinceps acta Curiæ Cracoviensis circumscriberentur. Verum illa huic Monitorio, & inhibitioni minime obtemperavit, imo Præpositum Generalem usu Pontificalium prohibuit, omnibus ferme Confessariis Ecclesiæ Miechoviensis suspensionem indixit, Canonicos in excommunicationem incidisse proclamavit, Procuratoribusque, ac Notariis cum Præpositi, tùm Canonicorum defensionem interdixit.

6 Sed irregularem istam procedendi methodum Nuntius Apostolicus abdicavit, Causam ad A.C. inhibentem remisit, Præpositum vero, & Canonicos a Censura, qua Sacris interdicebantur, absolvit. Hæc non æquo ferens animo Episcopus Cracoviensis, recursum habuit ab Eminentissimum Pro-Auditorem Sanctissimi, remissionem Causæ vel ad Curiam Cracoviensem, vel ad Sacram Congregationem Concilii enixe postulans; verum nihil obtinuit aliud, quam ut, suspensis interim Censuris usque ad exitum litis, hujusmodi instantia deferretur ad Signaturæ Tribunal, idemque intelligens, non nihil in *Sacra Rota* de hujusceOrdinis privilegiis actum olim fuisse, rescripsit = *Eidem Auditori Rotæ una cum Monitorio, & tanquam in prima cum facultate circumscribendi* = Mihi itaque directa Commissione, bina proposui Dubia in Rota *diei* 11. *superioris Aprilis*, in quibus unice quærebatur de simplici manutentione tum Exemptionis in genere, cum etiam specialis quoad Curam animarum, Sacrorumque administrationem. Sed cum hinc atque inde possessionis actus proferrentur, nec satis perspicuum esset, quis nam ex contendentibus possideret, DD. mei censuerunt, judicii possessorii examen suspendere, & de titulis, deque bono jure inquisitionem ad effectum manutentionis ineundam esse decreverunt; id quod effecit, ut etiam Causa Circumscriptionis in Rota sequenti proposita irresoluta extaret. De omnibus simul hodie actum est, mihique primum quærenti de Exemptione in genere sub congruo Dubio = *An, & de cujus bono jure constet etiam ad effectum manutentionis* = responsum est =

Constare de bono jure Præpositi etiam ad effectum manutentionis.

7 In discrimen revocari non licet, quin totalis exemptio ab Episcopali jurisdictione Religioso Ordini Canonicorum S. Sepulcri in ipso suæ Fundationis initio a Summis Pontificibus tributa, Miechoviensi deinceps Ecclesiæ nominatim concessa fuerit. Certum itidem est, Præpositum ejusdem Ecclesiæ Miechoviensis progressu temporis primum sibi locum vindicavisse supra cæteros sui Ordinis Conventus, loca, Domus, Præposituras, Poloniæ, aliisque proximis in Regnis existentes, hancque Superioritatem illum ab Episcoporum jurisdictione eximentem idcircò adquisivisse, quia Romani Pontifices, ut supra narratum est, omnia privilegia Universo Ordini pridem elargita pro eo, suisque membris rata semper, ac firma esse voluerunt. Immerito igitur Episcopus Cracoviensis, iique etiam, qui se illi sociarunt, legum Canonicarum dispositionem jactantes, Miechoviensem Præpositum, cæterosque Religiosos Dominici Sepulcri in propria quisque Diæcesi eorum jurisdictioni submittere properabant; Cum enim Summi Pontifices, qui jus habent concedendi, imminuendi, ac etiam auferendi Ecclesiasticam jurisdictionem, hosce Religiosos S. Sepulcri ab Episcopis immunes fecerint, hinc Episcopalis jurisdictio in ipsos conquiescat oportet. Explorati enim juris est, Episcopos nullum sibi jus præsertim Ordinarium adserere posse in locis, & Personis exemptis, ut bene multis larga manu cumulatis statuit *Rota in Constantien. Jurisdictionis super bono jure 13. Aprilis* 1714. *§. Derelinquentes coram Scotto, in Auximana super bono jure 21. Junii* 1748. *§. 3. coram bon. mem. Clemente, & in Ratisbonen. Jurisdictionis super Parochialibus reservatis 21. Februarii* 1766. *§. 5. cor. Illmo Olivatio.*

8 Non sane possunt Actores inficiari, Summos Pontifices Religiosis Dominici Sepulcri multa dedisse privilegia, quorum vi ab Episcopali jurisdictione dudum fuerunt exempti; Verum contendunt, ipsa exemptiva privilegia statim desiisse vim habere, ac Innocentius VIII. Ordinem S. Sepulcri, cui duntaxat eadem privilegia concessa fuerant, jam inde ab anno 1489. penitus abolevit. Ita sane res esset, si suppressio isthæc Innocentiana Universum Ordinem revera extinxisset. At ex Josepho Fontana Clerico a Matre Dei in suo libro, cui titulus = *Storia degli Ordini Religiosi, e Militari*, & ex *Samuele Nakielski* Auctore Promptuarii antiquitatum S. Sepulcri probè scimus, jactatam hanc suppressionem haud præstitisse, quod dictum est. Non enim ipsa exitum habuit ubique

que, sed tantum in *Italia*, *Gallia*, & *Flandria*; in Regnis autem *Poloniæ*, *Germaniæ*, *Hungariæ*, *Russiæ*, aliisque in locis nullum effectum consequuta est; illic enim semper fuerunt hujusmodi Regulares, quorum plures in unum Corpus juncti, ac Præposito Miechoviensi unice subjecti se jugiter immunes ab Episcopali jurisdictione, sicut antea, conservaverunt. Si ergo Præpositus Miechoviensis, publicata extinctione, qua Innocentius VIII. Ordinem suum perculerat, se nihilominus, ac suos Religiosos in illis, quos commemoravimus, locis ab illo infortunio præservavit, nihilque suorum Privilegiorum amisit, necessario dicendum est, Bullam Innocentii VIII. multis licet ab hinc annis latam, sed tamen in Polonia, aliisque proximis in Regnis non observatam, Miechoviensi Monasterio, suisque Membris quidquam detrimenti afferre nequivisse.

9 Id autem nec sine ratione, nec sine Pontificum assensu contigisse videtur. Etenim satis abunde patet, quod Conventus Miechoviensis non solum ab Episcopali jurisdictione exemptus fuit, cum *Urbanus IV.*, *Eugenius IV.*, ac demum *Pius II.* Ordinem Universum in altiori hoc dignitatis gradu collocare voluerunt, sed multo etiam magis hunc honorem obtinuit eo ipso, quo Summi Pontifices intellexerunt, eidem Conventui Miechoviensi alias Conventuales Domus, Loca, Præposituras, & Ecclesias adjunctas fuisse. Tum siquidem Urbanus IV. intuitu Præpositi, & Fratrum Ecclesiæ Dominici Sepulcri de Miechovia speciales litteras incipientes = *Cum ad Sanctam* = obsignavit, quibus dictam Ecclesiam, & omnia ipsius Membra existentia in *Polonia*, *Boemia*, *Sclavonia*, & *Russia*, *Hungaria*, & *Teutonia* prorsus, ac semper ab Episcopali jurisdictione fecit immunia; idque etiam ipsum *Gregorius XI.*, re accurate perpensa, confirmavit. Hæc qui vel leviter considerat, non certe mirabitur, si audierit, Canonicos Dominici Sepulcri de Miechovia, & cæteros eis adjunctos Ordinis extinctioni omnino incolumes superfuisse. Nam illi cum idem, quod professi fuerant, vitæ Institutum probe tenerent, eaque propter non magis universali, quam particulari exemptione digni jam pridem habiti fuissent, hinc promeruerunt, ut integri a suppressione Innocentiana servati, etiam in quieto suorum privilegiorum usu relinquerentur.

10 Verum hic non sistunt rationum momenta, quibus judicatum est, Præpositum Miechoviensem, ac Religiosos illi subjectos minime in Episcopalem jurisdictionem, Ordine suppresso, recidisse; Longe multo graviora accedunt. Ipsi namque Summi Pontifices, qui Innocentium VIII. suppressionis Auctorem subsequuti sunt, ubi rogati fue-

runt de confirmandis Privilegiis Miechoviensibus Canonicis omni tempore tributis, id jugiter præstiterunt. Quid aliud hoc est, nisi argumentum invictissimum, quo concludi liceat, ipsos Canonicos nullum vel minimum detrimentum ab Innocentiana suppressione accepisse? Plane *Julius II.* anno a supressione Ordinis decimo septimo singulas immunitates, & privilegia eidem Ordini tributa Præposito Miechoviensi, suisque membris confirmavit, ut perhibet Bulla incipiens = *Cum a Nobis* = Huic Pontifici accedit *Leo X.*, qui tribus successivis in eodem Anno 1520. signatis Bullis jurisdictionem Præpositi Miechoviensis longe firmiorem constituit. Inprimis enim *die* 11. *Maij* ratam habuit Bullam Urbani IV., vi cujus Fratres S. Sepulcri de Miechovia, aliique omnes in Polonia, & proximis Regnis existentes ab omni Episcopali Dominio exempti fuerant. Rursus *die* 19. *Augusti* contulit in Miechoviensem Præpositum sub B. Petri protectionem susceptum omnia jura, & privilegia, quæ ipsi, ac Universo Ordini singuli Antecessores Pontifices attribuerant. Demum eidem Miechoviensi Præposito facultatem dedit visitandi absque Ordinariorum licentia omnes Domos, Prioratus, Ecclesias sui Ordinis in præfatis Regnis constructas, & construendas, corrigendi, ac puniendi Personas illi subjectas, cæterasque res agendi, quas Prior ipse Generalis totius Ordinis nondum suppressi & sua Ordinaria, & Apostolica Auctoritate facere potuisset.

11 Neque adhuc finem habent beneficia, quæ Miechoviensis Præpositus, illiusque Religiosi omnes a Sancta Sede post Innocentium VIII. acceperunt. Rogatus etiam fuit Ven. Servus Dei Innocentius XI., ut Monasterio Miechoviensi, & Regularibus S. Sepulcri omnia indulta Prædecessorum Pontificum confirmaret. Is primum omnium rem examinandam detulit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, & deinceps ex illius voto amplissimam privilegiorum confirmationem favore Præpositi Miechoviensis promulgavit. Hæc porrò cum ita sint, optimo quidem jure nostrum Sacrum Auditorium censuit, Ordinem S. Sepulcri, quem Innocentius VIII. extinxit, viguisse semper, & adhuc vigere in Polonia, aliisque in locis, ipsumque non solum quidquam detrimenti a Suppressione non accepisse, sed tanto etiam benignius, munificentiusque privilegiis auctum postea fuisse, ut meridianam ipsam lucem negare videretur is, qui ob Suppressionem Ordini Religioso S. Sepulcri ab Innocentio VIII. invectam omnia privilegia etiam in Miechoviensi Præposito, aliisque ejusdem Ordinis Regularibus illi conjunctis interiisse fateretur, juxta animadversa per *Rotam in*

Ce-

Calaguritana Jurisdictionis super negotio principali 10. *Junii* 1701. §. *Nec Capitulo cor. Tremoille, in Leodien. Jurisdictionis* 6. *Decembr.* 1726. §. *Militat coram Cincio, & in Tyrasonen. Jurisdictionis super Reservatis* 20. *Junii* 1739. §. 5. *cor. Canilliac*.

12 Verum Actores una clausula *dummodo sint in usu* ex Bulla præsertim Innocentii XI. selecta, obiiciunt: Summi Pontifices idcirco tot vicibus Præposito Miechoviensi exemptionem ab Episcopali Jurisdictione pridem universo Ordini tributam confirmaverunt, quia illud pro certo suppositum ipsis fuit, quod nempe is re ipsa tali exemptione frueretur, hoc autem cum nec antea fuerit, nec modo verum sit, necesse est, ut confirmationes nullo habeantur in pretio. Perperam vero id opponebant; Siquidem falsum omninò est, Præpositum Miechoviensem haud perstitisse in usu suorum Privilegiorum; Etenim præterquam quod ipse, sicuti inferius patebit, non solum se exemptum ad hanc nostram usque ætatem conservavit, sed etiam ipsam suam exemptionem in Judicio sæpe sæpius vindicavit, illud urget, quod confirmationes, de quibus agitur, sunt in *forma specifica*, quia præmissum fuit examen privilegiorum, quæ confirmabantur, ideoque eædem robur desumentes ex ipso confirmationis Actu, non egent, ut verificetur clausula: dummodo sint in usu: tantoque magis quia versamur in privilegiis datis, confirmatisque Ordini Regularium, quæ non ita facile per contrarium usum amitti posse videntur, ut perpendit *Anaclet. in Jus Canon. lib.* 5. *tit.* 32. *de Privilegiis* §. 5. *num.* 109. *& seqq.*

13 Nec profuit reponere, Pium IV. anno 1560., & Paulum V. anno 1615. confirmationis robur adjecisse suppressioni Innocentianæ. Pius enim IV. illo, qui profertur, confirmationis actu, nunquam intellexit renovare ita suppressionem Innocentii VIII., ut ea quoque vim haberet in *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Russiæ*, *aliisque Regnis*, sed unice eo tetendit, ut Bona nonnullorum Religiosorum S. Sepulcri, in quibus Innocentiana Suppressio jam dudum executioni commissa fuerat, unita Hospitali Hierosolymitano remanerent. Spernenda vero erat asserta confirmatio Suppressionis Paulo V. tributa, cum solemnis actus confirmationis haudquaquam fuerit in medium prolatus. Etsi enim fides haberi vellet historico testimonio Josephi Fontana, qui hæc narrat = *Luigi XIII. scrisse al suo Ambasciatore a Roma, acciò procurasse da Paolo V. una Bolla per la conferma dell'unione* =, & Paulus V. eidem Ludovico XIII. petitam confirmationem elargitus fuisset (: quod certe non satis constat :) nihilo tamen minus quanti illa æstimari deberet, ut Bona Ordinis S. Sepulcri, qui reipsa in Gallia extinctus fuerat,

Jure, ac recte unita Hospitali Hierosolymitano judicarentur, tanti flocci facienda foret quoad Religiosos Miechovienses, cæterosque illis conjunctos, quos reipsa adeo verum est, non affecisse hujusmodi confirmationes, ut Innocentius XI. succedens Pio IV., & Paulo V. non dubitaverit omnia eisdem attribuere privilegia, quæ jam illis concessa fuerant.

14 Constito itaque ex usque adeo ponderatis, Præposito Miechoviensi, cæterisque sibi unitis Regularibus S. Sepulcri nullo damno fuisse Innocentianam suppressionem, irrito prorsus labore Episcopus Cracoviensis conabatur ostendere, Summos Pontifices Canonicis Dominici Sepulcri exemptionem ab Episcopali Jurisdictione indulsisse, quia ipsi Patriarchæ Hierosolymitano subiiciebantur; cum autem hæc dignitas jam inde ante suppressionem cessaverit, hinc dicendum est, ipsos Canonicos in Episcoporum dominium venisse, ne alioquin sine Capite subsistere videantur. Nihil sane levius opponi poterat. Qui enim Pontifices Miechoviensi Præposito, suisque Religiosis immunitatem ab Episcoporum Jurisdictione concesserunt, iidem non uni dumtaxat Patriarchę Hierosolymitano, verum etiam Romano Pontifici hosce Canonicos directe submiserunt. Quamobrem etiamsi defecerit jurisdictionalis Patriarchatus, existunt tamen, semperque erunt Summi Pontifices, qui eis præerunt, ac in ipsos etiam dominabuntur. Ad hæc præterea accedit, quod Canonici Regulares Dominici Sepulcri non immerito Patriarchæ Hierosolymitano subiiciebantur. Ipsi namque erant, qui juxta facultatem Alexandri III. & Cælestini III. Patriarcham ipsum ex proprio cætu nominabant; Quamobrem licet Jurisdictionalis Patriarchatus, Hierosolymis à Turca occupatis, cessaverit, non tamen desiit Ordo Dominici Sepulcri, præsertim in Polonia, aliisque in Regnis proprium sibi eligere Superiorem Generalem, qui etsi Patriarchatus titulo non honoretur, idem nihilominus Præpositura Miechoviensi potitus generalem super universo S. Sepulcri Ordine Jurisdictionem exercet.

15 Hujus rei Testes gravissimos sese præbuerunt Julius II., Leo X., & Innocentius XI. Hi sane Pontifices, qui Innocentianæ Suppressioni, multoque magis cessationi Patriarcharum fuerunt posteriores, Miechoviensi Præposito quà Priori Generali Regularium S. Sepulcri direxerunt suas Apostolicas Litteras, quibus omnia Privilegia ipsis Canonicis attributa confirmaverunt. Neque jam minoris sunt ponderis relationes Episcoporum Cracoviensium ad Sacram Congregationem Concilii datæ, & maxime illa anni 1751., in qua Episcopus affirmans Canonicos Regulares

-lares Dominici Sepulcri *habere Capitalem Conventum in Miechovia cum Præposito totius Ordinis Generali*, palam fecit, probavitque, hosce Religiosos nunquam sine Superiore Generali extitisse. Si igitur Patriarchæ Hierosolymitano suffectus est Præpositus Miechoviensis, isque probatus fuit à Summis Pontificibus, agnitus ab Episcopis, nihil profecto erat causæ, quamobrem contenderetur, Patriarchatus deficientiam secum traxisse interitum omnium privilegiorum, quæ ipsi Ordini adhuc in Polonia, aliisque in Regnis suo Capiti legitimo obtemperanti concessa fuerunt, sicuti opportune firmant *Tamburrin. de Jur. Abbat. tom.1. disp.15. quæst.11.*, *Cokier. de Jurisdict. in exempt. par.3. quæst.19. num.7.*, *Lotter. de Benefic. lib.1. quæst.24. num.15.*, *Barbos. de Jur. Ecclesiast. lib.1. cap.19. num.46.*, & *Passerin. de election. cap.10. num.8.*

16 Atque hinc modo percipitur, qua ratione motus Sixtus IV. speciali Constitutione aliquibus Religiosis hujus ejusdem Ordinis cuncta revocaverit privilegia. Cum enim delatum ei fuisset, in Hispania, & quidem in Civitate Calatajubii Diœcesis Tirasonensis existere Monasterium hujus Ordinis, in quo Canonici Regulares minime agnoscebant suum Superiorem Generalem, hinc ipse illud Monasterium ab Ordine sejunctum, & per se stans in Episcopi redegit potestatem. Sed quid? Iidem Religiosi rursus obtinuerunt à Leone X. exemptionum privilegia, eaque hujus nostri Sacri Auditorii Judicio, ut inferius dicendum erit, ab Episcopo vindicaverunt; Non solum igitur non obstat Præposito Miechoviensi factum Sixti IV., sed etiam ob ea, quæ deinceps evenerunt, maximum ipsi confert præsidium.

17 Ne vero his diutius immoremur, transeamus ad observantiam, ex qua emergit, Ordinem istum cunctis temporibus uti ab Episcopali dominio exemptum habitum fuisse. Primum omnium sese offert Episcopus Cracoviensis anni 1386., qui agnoscens Apostolicas Litteras Urbani IV., & Gregorii XI., ultro ad illarum executionem properavit. Rursus anno 1505. post jam extinctum ab Innocentio VIII. Religiosum Ordinem S. Sepulcri Officialis Curiæ Cracoviensis Bullas Urbani IV., Gregorii XI., & Martini V. auctoritate publica exscripsit, mandavitque præterea, ut eis plena haberetur fides. Postremo illud maximi est ponderis, quod *Nakielski* suo in promptuario antiquitatum Ordinis hujusce anno 1620. contigisse narrat. Ubi enim illo tempore Miechoviensis Præpositus intellexit, Episcopum Cracoviæ nonnulla Decreta in Diœcesana Synodo facturum fuisse suæ exemptioni contraria, confestim vix facta protestatione obtinuit, ne me-

meditata Decreta promulgarentur; hoc idem ei contigit in Concilio Provinciali. Cum enim Episcopus Cracoviensis ibidem omnes vias evertendi exemptionum privilegia Ordini S. Sepulcri tributa persequutus fuisset, idem Præpositus Miechoviensis adeo pro re sua certavit, ut ipsemet Episcopus Cracoviensis, aliique Episcopi, qui ex Poloniæ Regno illuc venerant, agnoscere tandem debuerint, præfatum Ordinem esse revera exemptum ab Episcopali jurisdictione. Scimus præterea, non defuisse in posterum alios Episcopos, qui moliti sunt, hujusce Ordinis Religiosos eorum submittere potestati, sed tamen æque scimus, eos a Sententia illico destitisse, quoties Religiosi privilegia in medium proferebant. Hæc porro totidem sunt argumenta invictissima, quibus fit plusquam manifestum, Præpositum Miechoviensem, ejusque Regulares omnes in usu, ac possessione suorum privilegiorum revera extitisse; Alias enim nec Curia Cracoviensis executioni tradidisset Pontificum Bullas, nec Episcopi, Bullis ipsis in conspectu positis, unquam a prætenso jure exercendi in illos Ordinariam jurisdictionem libenti animo discessissent.

18 Gravissimum ad hæc pondus addunt ipsorum Poloniæ Regum testimonia. Jam inde ab Anno 1549. Rex Sigismundus Gnesnensi Capitulo notum fecit, Ordinem Sancti Sepulcri in ipsa Gnesnensi Diœcesi existentem ab Episcopali jurisdictione immunem esse, neminemque nisi Præpositum Miechoviensem in illum exercere imperium; hoc idem Anno 1624. Episcopo Uratislaviensi dixit Sigismundus Tertius; ac tandem Joannes Tertius amplissimum de hac re testimonium S. Sedi perhibuit. Statutum quoque fuit in Concordatis Anno 1737. Pontificem inter, & Rempublicam Polonam initis, & ab ipso Episcopo Cracoviensi, cæterisque Episcopis Poloniæ subscriptis, quod Miechoviensis Præpositura conferenda semper foret Superiori Generali, qui omnibus S. Sepulcri Religiosis præesset, iisque dominaretur. Unde factum est, ut Religiosi ipsi suum semper elegerint Præpositum Generalem, eoque electo, Summum Pontificem adiverint ad petendam actus confirmationem, quam S. Sedes jugiter impertita est, misitque Litteras ad Apostolicum Nuntium, quibus illum sic electum in dignitate sua tueretur, eique jus ad Curam animarum Præposituræ Miechoviensi unitam conferret. Ita se gesserunt præ cæteris Clemens XII., Benedictus XIV., & Clemens XIII. Quid aliud hoc est, nisi adamussim exequi privilegia Ordini eidem tributa, & nisi Præpositum, Religiososque omnes pro exemptis haberi?

19 At Præpositus Miechoviensis non solum habitus est in Exemptorum numero, verum etiam se ut exemptum continue gessit. Et profecto ex Apostolicis privilegiis, quibus ille potitur, & ex Constitutionibus Ordinis, quas Sixtus V., necnon Urbanus VIII. approbaverunt, luculenter patet, jus esse Miechoviensi Præposito quà Generali Superiori omnes Conventuales Domos, loca, Præposituras, & Ecclesias ei subjectas visitandi. Si quærimus exempla exercitæ istius facultatis, ea turmatim occurrunt. Quamvis enim antiquiorum Sæculorum Visitationes propter incendia perierint, est tamen in conspectu longa visitationum series, quæ jam inde à Sæculo decimo quinto incipiens desinit in hanc nostram ferè ætatem. Plane Visitationes istæ perhibent, Miechoviensem Præpositum approbavisse multa, pleraque reformavisse, nonnulla revocasse. Ex iisdem constat, quod ipse Præpositus suos Religiosos ab Officio quà indignos amovit: hinc videmus Parochos depositos, Religiosos a Sacris suspensos, alios excommunicatos, & cætera his similia, quæ tam multa, tamque frequenter gesta ostenduntur, ut dubitari nullo modo liceat, quominus Miechoviensis Præpositus in jure similia agendi firmissime constitutus fuerit, & se ut exemptum continue gesserit.

20 Certum itidem est, jus esse Præposito Generali, ejusque Capitulo Miechoviensi, eligere, ac nominare ad Ecclesiastica Beneficia etiam cum Cura Animarum suæ Religioni unita. Hinc quoties vacavit aliquod ex istis Beneficiis aut per obitum Possessoris, aut per Resignationem ipsi Præposito Generali factam, toties Præpositus idem Generalis cum suo Capitulo Miechoviensi elegit, nominavitque alterum ex Canonicis S. Sepulcri, qui deinceps Episcopo præsentatus confestim ab eo Institutionem authorizabilem accipiebat. Horum autem gerendorum occasio assidua fuit, ac multa, nihilque opus est exemplis id facere longius. Est enim perspicuum, omnes Episcopos Poloniæ, & maxime Cracovienses jam inde usque a vetustissimis Sæculis dedisse hujus generis institutiones ad Parochias Conventuales Religiosis capitulariter electis, & à Præposito Miechoviensi præsentatis. Demum cujus, quæso, in manibus expleri consueverunt Regulares Professiones? Cui obedientiam detulerunt Religiosi hujusce Ordinis? Quis deputavit Concionatores? Quis Confessarios elegit? Quis Litteras dimissoriales ad Sacros Ordines suscipiendos Canonicis S. Sepulcri tribuere assuevit? Nonne semper fuit, sicuti modo est, Generalis Præpositus? Cum ergo sic penitus res se habeat, jurisque sit admodum explorati, neminem Episcopo infe-

fe-

feriorem hæc agere posse, nisi ab illius jurisdictione perpetuam nactus fuerit immunitatem, necessario concludendum est, Miechoviensem Præpositum, qui talia diu, multumque sine contradictione peregit, se pro exempto jugiter gessisse, ac uti talem habitum ab Episcopis fuisse, sicuti ad rem firmat *Rota coram Pamphilio decis.65. num.1., coram Ansaldo decis.31. num.5., in Burgen. Jurisdictionis 3. Julii 1713. § Constitit coram Barbadico, in Constantien. Jurisdictionis super bono jure 13. Aprilis 1714. §. Cæterum coram Scotto, & in Tyrasonen. Jurisdictionis super Reservatis 12. Junii 1739. §.4. cor. Canilliac.*

21 Neque vero ista exemptio, qua Præpositi Miechovienses usque adhuc gavisi sunt, quidquam detrimenti passa est ex nonnullis actibus, quos Cracovienses præsertim Episcopi in Ordinem ipsum exercuerunt. Etenim cujuscumque indolis illi fuerint, ejus tamen efficaciæ reputandi non erant, ut omnino dicendum fuisset, illos fatale exitium Apostolicis privilegiis attulisse. Verum, ut id diligentius exponamus, operæ est pretium. Principio constat, singula fere privilegia, quæ modo stant sub censura, esse munita *decreto irritanti*, & clausula *sublata*. Quidquid igitur adversus illa fieri potuit, nullo in pretio haberi debet, cum decretum illud, & clausula, quibus Apostolicæ Litteræ muniuntur, rata esse non sinant, quæ inferiores potestates adversus illas moliuntur, & faciunt, *Rota coram Ratto decis.105. num. 14., in Valentina Beneficii 28. Novembris 1732. §. fin. coram Aldrovando*. Præterea agitur de privilegiis non uni personæ, aut etiam singulari Monasterio tributis, sed res tota versatur super exemptionibus universo Ordini Canonicorum S. Sepulcri concessis; quibus sane in circumstantiis quicumque actus illis contrarius, si nihil gravius sit, quod aliò trahat, confestim nullius momenti putandus erit. Sive enim Viri maxime præpotentes contra nonnullos exemptos vi egerint, sive ipsi exempti oscitanter permiserint, ut alii se in suis turbarent privilegiis, nihilotamen minus nullum unquam damnum ex hoc illatum censeretur Ordini universo, cujus tantum causa Summi Pontifices identidem privilegia impertiverunt, sicuti probant *Piton. discept. Eccles. part.1. discept 8. num.21., & part.2. discept.28. num. 129., Valent. de re Eccl. part.2. discept.2. num.108., Rota in decis.239. num.16., & 17. part.8. Recent., & in Carpentoracten., seu Valreacen. Jurisdictionis 11. Junii 1728. §. Quamquam cor. Aldrovando*.

22 Hisce præmissis, veniant ad examen, quæ adversus istos Re-

Regulares facta proponuntur. Sane ante oculos versatur, Episcopum Cracoviensem Comitiis ad eligendum Præpositum Generalem venia ipsius convocatis olim præfuisse, ut electionem auctoritate sua confirmaret, ostenditurque præterea, quod Miechoviensis Præpositus nonnunquam ipsi Episcopo Præposituram resignaverit. Verum hæc nostrum Sacrum Auditorium, quo majori conatu extollebantur, eo leviora existimavit. Satis enim constitit, Episcopos Cracovienses ita se gerere potuisse ante sæculum decimum sextum, tum nempe cum turbidis illis Ecclesiæ temporibus Reges Poloniæ sibi adserentes jus Patronatus Miechoviensis Præposituræ, Sæculares Presbyteros ad illam titulo Commendæ nominabant, cujus rei firmum, & grave Sedi Apostolicæ testimonium anno 1677. præstitit Joannes Poloniæ Rex hisce verbis = *Nec Generalatus Officium fuisse alio tempore quodammodo alteratum, nisi eo, cum Antecessores mei ad eamdem Præposituram per commendam tenendam præsentaverint* = Non igitur mirum videri debet, si eo tempore Religiosi S. Sepulcri suis privilegiis uti nequiverunt; jam enim Presbyteri sæculares illis dominabantur, proindeque Episcopis omnia, quæ sibi placerent, facere licebat. Sed tamen illius temporis Pontifices, & præsertim *Eugenius IV.* omnia sua studia ad illos Religiosos tuendos usque eo contulit, ut sua Constitutione, quæ incipit = *Siquidem* = edita anno 1435. irritum declaraverit, quidquid contra ipsorum exemptionem fieri, atque attentari contingeret. Quanti autem, hac stante Constitutione, faciendi sint actus Episcoporum in hunc Ordinem exerciti, utique omnes intelligunt.

23 At vero quidquid sit, an a sæculo decimo sexto molestiæ, quas pridem Ordo ipse patiebatur, finem habuerint, illud certissimum est, quod postquam S. Sedes in Concordatis cum Polona Republica initis constituit, Præpositum Generalem Ordinis S. Sepulcri ex cætu ipsorum Regularium sumendum esse, non amplius Cracoviensis Episcopus Comitiis præfuit, non electionem probavit, non electo institutionem dedit, non quidquam aliud contra exemptos tentavit. Cum igitur ultimus hic status Canonicos Dominici Sepulcri ad plenissimum suæ immunitatis exercitium restituat, hinc illi actus omnes præcedenti tempore gesti, quo magis turbare potuerunt illorum Religiosorum possessionem, eo minus dicendi sunt abstulisse, aut etiam imminuisse privilegia universo Ordini tributa, quemadmodum recte advertit *Rota coram Rembold. decis. 514. num. 16., in Colonien. Jurisdictionis 10. Aprilis 1704. §. Et ex his coram Priolo, &*

in

in Constantien. Jurisdictionis super bono jure 13. *Aprilis* 1714. §. *Contraponi cor. Scatto*.

24 Nec tantopere insistendum erat super aliis Actibus gestis vel ab Episcopo Cracoviensi *annis* 1468. 1539. 1583., vel ab Episcopo Gnesnensi *anno* 1584., ex quibus apparet, nonnullos Præpositos Ordinis S. Sepulcri fuisse ab iisdem Episcopis dignitate privatos. Iis namque omnibus perlustratis, manifeste deprehensum est, id factum esse ob insignes illorum excessus, quibus, cum Religiosi ipsi occurrere statim voluissent, non ad Apostolicum Nuntium, non ad Summum Pontificem, qui a loco patratorum facinorum nimis distantes erant, verum ad Episcopos quà magis idoneos, ac paratos recursum habuerunt, ut in Reos, qui omnibus Civibus offensioni erant, illico severius animadverterent. Quamobrem Episcopi ex his, quæ rogantibus ipsis Canonicis egerunt, sibi universalem in toto Ordine jurisdictionem arrogare nequeunt; ab æquitate siquidem abhorreret, admodumque absurdum esset, si ob paucos Actus, quos nonnulli Religiosi exempti in ipsos exerceri voluerint, dicendum foret, Ordinem universum immunitatem penitus amisisse, ut probè arguunt *Murg. ad Constit. Apost. in Addit. ad dec.*12. *num.*11., *Valent. dict. discep.*2. *num.*117., *Rota cor. Coccin. decis.*2070. *num.*15., *coram Cerro decis.*10. *num.*2., *& seqq.*, *& coram Carill. decis.* 97. *numer.* 19., *& seqq.*

25 Cæterum omnis, si quæ etiam inesset ambiguitas, ea submota penitus remanet, quatenus ponderetur, Religiosos illos, qui tum ab Episcopis privationis Officii, excommunicationis pæna mulctati fuerunt, se omni scelerum, flagitiorumque genere adeo irretivisse, ut Episcopi in eos animadvertere potuerint jure delegato, quod sane adversus omnes utcumque exemptos in his circumstantiis obtinent a Sacro Concilio Tridentino *in Sess.*14. *cap.*4. *de Reformat.* At notum est, istam facultatem juris delegati nomine Episcopis attributam, si adversus unum, aut alterum eis non subjectum adhibeatur, nullum exemptioni detrimentum quoad cæteros afferre, juxta receptissimam opinionem, quam firmant *Lotter. de Benefic. quæst.*24. *num.*77., *Pignatell. consult. Canon.* 58. *num.*2., *& seq.*, *Rota coram Sa. Mem. Clemente XIII. decis.*254. *num.*6., *& in Ratisbonen. Jurisdictionis super Parochialibus Reservatis* 21. *Februarii* 1766. §.17. *coram Illustrissimo Olivatio*. Atque hinc nihil etiam refert, quod Episcopi Poloniæ Religiosis hujusce Ordinis a Præposito Generali nominatis ad Parochias Conventuales institutiones impertiantur, ab ipsis

ju-

juramentum fidelitatis exquirant, postremo Confessariis excipiendi Confessiones, Prædicatoribus concionandi potestatem faciant; Hæc enim omnia utpote respicientia animarum Curam fuerunt jam dudum præservata Episcopis, eisque unis iterum attributa *a Sacro Concilio Tridentino in Sess.25. cap.4. de Regular.* Verum hujuscemodi Actus coercentur ad simplicem Episcopi approbationem, nullum ipsi conferentem jus, sive titulum, quo in reliquis etiam rebus Personas exemptas suæ subijcere valeat potestati, ut dixit *Rota in Præmislien. Præpositura 27. Februarii 1760. §.11. coram R.mo P. D. meo Rattu Decano.*

26 Nec magis proficiunt ea Statuta, quæ Episcopus Cracoviensis anno 1533. fecit ea occasione, qua Præpositus de Miechovia exoptans, ut bini ex suis Canonicis ad Universitatem Cracoviæ Studiorum causa sese conferrent, in eaque reciperentur, ipsi Universitati quosdam Census donaverat, ut Studentes illic alerentur. Siquidem Episcopus, qui onerosam illam donationem acceptam ferre debuerat, certas leges præscripsit, conditiones adjecit. At quid in illis exemptioni contrarium dici potest constitutum? Actum est cum Præposito de admittendis suis Religiosis ad Studia in locum, ad quem sua jurisdictio non extendebatur; Res fuit ad exitum perducta ab Episcopo, qui leges apposuit sibi magis benevisas. Itaque observentur, si lubet, istæ leges in ipsa Universitate, teneant illos, qui ad eam accedunt, dummodo in Monasterio Miechoviensi, aliisque ei unitis nullam vim, & efficaciam habeant, sicut habere nequeunt. Est enim juris non ambigui, ut quæ ad unum effectum operantur, trahenda non sint ad extranea, omninoque diversa, *Lotter. de re Benefic. lib 1. quæst.24. num.248., Rota in Marsicen., seu Nullius Jurisdictionis 7. Junii 1700. n.39. cor. Muto.*

27 Hactenus probatum est, Præpositum Miechoviensem, & Regulares Dominici Sepulcri ab Episcopali exemptos esse jurisdictione, nec ullo tempore contigisse, ut Episcopi eosdem sibi revera subjecerint. Restat, ut aliqua dicantur de Rebus judicatis, quæ maximum his omnibus firmitatis robur adjiciunt. Præpositus Monasterii Gnesnensis, & Religiosus hujusce Ordinis Anno 1510. coram illius Diæcesis Archiepiscopo inter se contendebant; ille probe intelligens, hosce litigantes non suæ subjacere potestati, decretum edidit, quo eosdem ad eorum Superiorem tanquam exemptos remisit; neque dissimiliter se gessit Curia Gnesnensis Anno 1631. Illa enim declaravit, Gnesnæ Præpositum in jus itidem vocatum co-

ram

ram Episcopo, quà exemptum ab Episcopali jurisdictione, *forum pati non posse*, *& liberum pronuntiari debere*. Paucis vero abhinc annis privilegia hujus ejusdem Ordinis magis accurate perpendit Nuntius Apostolicus. Is enim ubi singula fere Pontificum Diplomata sub oculos habuit, cognovitque, Præpositum Miechoviensem non secus ac omnes Canonicos S. Sepulcri liberos esse ab Episcopali jurisdictione, circumscripsit Decretum a Curia Gnesnensi adversus istos Regulares latum, illudque nullum ex *defectu jurisdictionis* declaravit. Hæc porro judicia, quæ ab ipsis Tribunalibus Ecclesiasticis Regni Poloniæ fluunt, ac manant, plurimum æstimari debent, cum nulli alii magis, quam ipsorum Tribunalium Judices præsumantur habere notitiam eorum, qui propriæ jurisdictioni non subiiciantur.

28 Non est tamen, cur externas quæramus Sententias, quando in variis Judiciis Romæ hac super re habitis cognitus, probatusque fuit Ordo iste ab aliena jurisdictione omnino immunis. Plane Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, cum Episcopus Chelmensis Commendatarius Monasterii de Miechovia jus, potestatemque omnem sibi arrogaret in Præpositum, & Monachos ejusdem Monasterii, respondit, Commendatarium nullam in eos habere jurisdictionem, sancivitque preterea, Canonicis S. Sepulcri jus esse sibi eligendi Præpositum Generalem. Rursus licet Congregatio Particularis a Summo Pontifice Anno 1725. deputata censuisset, Pręposituram Miechoviensem in Commendam dandam esse Abbati Rozdrazevvvski, attamen ei nihil juris attribuit super Canonicos S. Sepulcri, quos adeo immunes a Commendatarii jurisdictione voluit esse, ut Præposito ab ipsis electo, & a Sancta Sede confirmato præservaverit quoque facultatem nominandi ad Ecclesias Parochiales a Præpositura Miechoviensi dependentes; Nec denique tacendum, Summum Pontificem his omnibus Auctoritatem suam adjunxisse. Quamobrem decet omnino, ut eadem a Nobis quoque probentur; quod enim Principi placuit, legis habet vigorem, ad *Textum in leg.* 1. *ff. de Constit. Princip.*, *& leg. ult. Cod. de Legib.*

29 Multiplex etiam fuit Sacri hujus Tribunalis judicium de privilegiis hujusce Ordinis. Nihil magis cordi fuerat Episcopo Tyrasonensi, quam ut Regulares isti præsertim Calatajubenses in suam redigerentur potestatem. Itaque adversus illos Anno 1734. litem instruxit, eamque Sacro Auditorio proposuit judicandam. Principio Episcopus voti compos factus jam in eo erat;, ut suum in victos exerceret imperium; at illum sua frustrata est spes; etenim

nim, redintegrato certamine, Religiosi Calatajubenses suam exemptionem recuperaverunt, siquidem editis Decisionibus *dierum* 30. *Januarii*, *&* 22. *Junii anni* 1739., tandem bon. mem. Canilliac Rotalem obsignavit Sententiam, qua declaratum fuit = *Priorem*, *Canonicos*, *aliosque deferentes habitum S. Sepulcri fuisse*, *& esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione* = Profecto nihil gravius ad hanc Causam afferri potuit. Nam si ope hujus Rotalis Sententiæ Regulares S. Sepulcri Civitatis Calatajubensis, licet ab Ordine Universo separati, exempti nihilominus ab Episcopo Tirasonensi dicendi sunt, quanto sane magis hac immunitate frui debent ejusdem Ordinis Regulares, qui in Polonia, Russia, aliisque Regnis unum Corpus sub uno Capite Generali constituunt?

30 Verum ad aliud judicium properemus. Fuit quondam in Sacra Rota disputatum, an Ecclesia Parochialis in *Przevvorsko* Diæcesis Premisliensis, quam tenent Canonici S. Sepulcri Miechoviensi Præposito subjecti, dicenda foret Conventualis, seu potius esset subjecta jurisdictioni Episcopali etiam quoad Personas. At positis ante oculos Apostolicis Privilegiis eidem Ordini concessis, nihil dubii esse potuit, quin & Ecclesia Conventualis, & Religiosi in ea existentes non secus ac Universus Ordo pronunciandi essent ab Ordinaria Episcoporum jurisdictione, exempti, ut perhibent Decisiones annorum 1760. 1761., & 1762. Rmi P. D. mei Decani, quas etiam Rotalis excepit Sententia. Nihilque refert, quod Episcopus Præmisliensis illi Judicio præsens non fuerit, etenim si illum non latuit, quid in Causa ageretur; si editis Decisionibus, ac promulgata Sententia non reclamavit, sinitque imo, quod Religiosi Prævorscenses in sua se custodirent exemptione, hinc sequitur, Episcopum perinde haberi oportere, ac si expressum tali judicato consensum præstitisset. Hæc igitur cum ita sint, quis modo putabit, Miechoviense Monasterium, & Regulares S. Sepulcri Ordinariorum potestati esse subjectos? Certe nemo; etiamsi enim cætera deessent, unæ tamen illæ Res judicatæ, quæ ipsam controversiam dirimunt, ac pene ad exitum deducere videntur, punctum ferrent, donec impetrata Commissione restitutionis in integrum non fuissent abrogatæ, sicuti monet *Rota coram Falconer. decis.* 2. *num.* 19. *de Officio Ordinar.*, *& in Marsicen.*, *seu Nullius Jurisdictionis super bono jure* 7. *Junii* 1700. §. *Fortius coram Muto*.

31 Quibus rite constitutis, illico emergit ratio decernendæ Manutentionis favore Præpositi de Miechovia secundum alteram quæstionis partem. Etenim si ex late dedu-

deductis undique clare dignoscitur bonum jus Ordinis S. Sepulcri quoad exemptionem; si etiam innegabilis redditur possessio Miechoviensis Præpositi quoad liberum exercitium jurisdictionis, in suum Ordinem exemptum, hinc nil magis rationi, & inconcussæ Sacri hujus Tribunalis praxi congruebat, quam quod eidem decerneretur Manutentio, juxta vulgatam regulam, de qua *Textus in leg. 5., & tot. Titulo ff. uti possidetis, Leg. unic. Cod. eodem tit. §. Retinendæ instit. de interdictis, Ripa in cap. Cum Ecclesia Sutrina 255. de cau. poss., & prop., Posth. de manuten. obser. 10. num. 64., & ob. 45. num. 8., Rota in Cracovien. Decimarum super Manutentione 27. Aprilis 1750. §. 3. cor. Clemente.*

Et ita DD. responderunt in strenuo Partium conflictu.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0022383